

custoditos: 3. quia depravatio, si quæ in odium Christianorum facta foret, maxime concernere debebat vaticinia de Christo et ejus Ecclesia; circa quæ tamen tum satis fortia testimonia supersunt, tum exigua est dissonantia inter textum hebraicum et græcum aut latinum: quin textus hebræus non raro Judæos magis urget, quam versio græca aut latina; 4. quia Patrum nemo de ejusmodi corruptione unquam fuit conquestus; cum querelæ Justinii et Origenis ad versionem 70 Interpretum, Chrysostomi et Hieronymi ad versiones Aquilæ, Symmachi ac Theodotionis pertineant.

Prob. de Nov. Test. similibus fere argumentis. Nam 1. universalem textus græci depravationem impossibilem fuisse, constat tum ex dispersis per omnem terram exemplaribus, tum ex perpetua contentione Catholicos inter et hæreticos; quorum illi si corrupissent, id hi mox exprobrassent; aut illi vicissim, si res ab his foret tentata: 2. nec tempus, nec modus, nec auctores depravationis hujusmodi proferri possunt: 3. neque ante Photii schisma Græci originarium textum corruerant; cum probabile hujus criminis motivum fingi queat nullum: neque post illud exortum; cum in Conciliis Lateranensi 4^o, Lugdunensi et Florentino, ubi tamen plura dissensionum capita proferebantur, Latini nunquam hanc Græcis depravationem objecerint: Scriptores, Episcopi, imo et Sacerdotes aliique ad Scripturam Sacram in horis canonicis legendam adstricti, nihil unquam de hoc crimine sunt suspicati; quod tamen vix videtur credibile, si quæ corruptio foret invecta.

17. *Dico IV.* Libri Scripturæ Sacræ Deum habent principalem auctorem, et sunt auctoritatis divinæ. *Prob.* Libri Sacræ Scripturæ legales conditi sunt ab hominibus sanctissimis, auctoritate patrandorum miraculorum munitis, ac divinitus missis ad promulgandam legem Dei ac Evangelium Christi: prophetici continent prædictiones ignotissimarum rerum eventu ipso accurate comprobatas: sapientiales sanctitatem, puritatem et sublimitatem doctrinæ proponunt humanæ sapientiæ passim inimicam et sæpe superiorem: historici easdem prærogativas vel omnes vel aliquas participant: ergo Deum habere auctorem debent. *Conf.* ex summa auctorum diversissimis temporibus, locis ac conditionibus scribentium consensione et concordia; ex mirabili sacrorum librorum a tanto tempore ac inter tot vicissitudines conservatione; ex religiosissima veneratione, qua tot ac tanti homines libros hos omni tempore sunt persecuti adeo ut pro veritate in iis contenta fortunas ac sanguinem profundere non dubitaverint: ex miraculorum multitudine et insolentia, quibus eadem veritas fuit confirmata etc.

18. *Observa.* Cum Scripturæ Sacræ existentia fundamentale ac pragmaticum Religionis Catholicæ dogma sit, quod proinde et a Deo revelatum et infallibili auctoritate nobis applicatum esse oportet; allata hactenus pro veritate, integritate ac divinitate existentis Scripturæ Sacræ argumenta rem omnem conficere minime possunt, utpote quæ forsitan moralem certitudinem non superant, nec revelationem divinam produunt. Quare præcipuum pro stabilitatis assertionibus argumentum ex Traditionibus atque Ecclesiæ definitione necessum est desumi; ut satis declaravit Augustinus, dum L. 15 de Civ. c. 23. scripsit: *Libri apocryphi vocantur, eoquod eorum occulta origo non claruit Patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium scripturarum*

certissima et notissima successione pervenit; et ubi L. cont. epist. fundam. C. 4. ait: Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ Catholicæ me moveret auctoritas. Hæc tamen hic indicasse duntaxat sufficiet; cum de isto argumentorum genere infra sit uberius tractandum. Quæ contra ipsam thesium positaram veritatem obmoveri possunt, quoniam per universam Scripturam diffunduntur, methodo compendiaria perstringere non licet; adeoque repetenda sunt ex SCRIPTURA SACRA dogmaticæ et polemice explicata, quam hic loci impressam consulere datur.

ARTICULUS III.

Sub qua ratione et extensione Scriptura Sacra Deum habeat auctorem?

19. *Nota.* Triplex concipi potest modus, quo Deus mentem scriptoris alijus afficiat. 1^{us} est *specialis assistentia*, stans in peculiari auxilio, quo Deus ita adest scriptori, ut ne inter scribendum erret aut mentiendo, aut falsum proferendo, aut defectum quemcumque committendo, qui impediatur, ne scriptio ad Dei directionem referri queat: 2^{us} est *inspiratio*, quæ præter specialem assistentiam dicit incitationem quamdam interiorem motumque insolitum, quo quis ad scribendum impellitur, sine rationis tamen et libertatis periculo: 3^{us} est *revelatio*, quæ memoratæ inspirationi superaddit veritatis antea ignotæ factam divinitus manifestationem. Potest autem trifarius hic modus spectari et pertinere vel ad libri sacri generale tantum argumentum et scriptionem universim, vel ad singulas etiam ejus sententias et veritates earumque ordinem, vel ad singula quoque verba eorumque compositionem seu phrasin et stilum.

Porro ex superiori articulo non tantum contra Atheos et infideles constat, aliquo ex recensitis modo Deum affecisse Scriptores sacros; sed et specialem illis Dei assistentiam esse asserendam, contra ac senserunt olim Anomæi aliique Hæretici a S. Hieronymo refutati, et proximis seculis Erasmus, Grotius, Episcopus, Spinosa, nonnullique Batavi, qui Scriptores canonicos in rebus levioribus, fidem ac mores non spectantibus, sibi fuisse relictos errorique obnoxios docuerunt: quandoquidem hoc casu libri sacri nomen ac essentiam Scripturæ divinæ minime retinerent, neque ex illis argumentum ullum firmum depromi posset; cum instrumentum ex parte falsum reputetur falsum simpliciter, ut Legistæ, l. si ex falsis C. de Transact., docent. Accedunt præter communem Theologorum Orthodoxorum consensum testimonia Patrum, qui Sacram Scripturam non tantum a mendacio et falso, sed etiam ab otioso et superfluo liberam declararunt; qualia sunt S. Clementis in ep. ad Cor. S. Justin. in 2. Apolog. S. Iren. L. 1 adv. hæc. c. 46. et 47. Clem. Alex. in exhort. ad Gent. Ambros. in ep. ad Justum, Hieron. in comment. ep. ad Philem. Chrys. hom. 1. ad pop. Antioch. Augustin. L. 2. de cons. Evang. c. 12. et ep. 8. et 29. Epiphani. hæc. 76. et aliorum.

Præterea etiam facile ab omnibus tribuendum videtur, non omnia in Scripturis Sacris contenta a Deo esse revelata, siquidem revelatio in sensu proprio nuper exposito accipiatur. Quæ enim Scriptores sacri vel oculis viderant, vel ex alienis scriptis didicerant, nequeunt sub manifestatione divina veritatis antea ignotæ comprehendi: Atqui tamen Moses Ægyptiorum

plagas, Josue Israelitarum praelia, JOANNES Christum in cruce morientem et alii alia propriis oculis usurparant; Lucas vero e. 1. v. 2. sui Evangelii testatur historiam ex traditione et sermone aliorum ab se haustam; Scriptor tandem Machabæorum L. 2. c. 2. v. 24. profitetur a se breviari uno volumine, quæ a Jasone Cirenæo quinque libris sunt comprehensa. Vicissim vero negari non posse videtur, plura ex revelatione divina, qualia maxime sunt Prophetiæ et mandata divina, esse conscripta. Atque huc potissimum pertinet illud Psal. 44. v. 2. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, et illud Jerem. 36. v. 18. *Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos; et ego scribebam in volumine atramento*: Item Luc. 1. v. 70. Act. 1. v. 16. et 3. v. 18. ad Hebr. 1. v. 1. etc.

Tandem inter Catholicos quoque convenit, non solum specialem assistentiam, sed et quamdam Spiritus Sancti inspirationem Canonicis Scriptoribus esse vindicandam; tum quia 2. ad Tim. 3. v. 16. dicitur *omnis Scriptura esse divinitus inspirata et utilis*, ut ex textu græco et præcedentibus verbis manifestum est: tum quia alias Scriptura Canonica non magis divina foret præ canonibus Ecclesiæ, in quibus condendis specialem Dei assistentiam locum habere, infra ostendetur. Unum itaque, quod hic examinandum assumimus, est inspiratio magis particularis et revelatio minus propria, quæ stat in expressa et immediata propositione vel designatione divina rerum, sententiarum et verborum singulorum; et versatur etiam circa ea, quæ scriptor sacer sive naturaliter sive supernaturaliter jam comperta habet. Hujusmodi inspirationem Scripturæ Sacræ necessariam et Scriptoribus sacris omnibus concessam negarunt LESSIUS, HAMELIUS, BONFRERIUS aliique nonnulli: affirmarunt vero præter plures alios Facultates Theologicæ Lovaniensis et Duacena, quæ et priorem sententiam an. 1587. et 1588. censuris theologicis notarunt.

20 *Dico I.* Deus res saltem seu veritates et sententias, in libris sacris expressas, Scriptoribus sacris specialiter inspiravit.

Prob. I. Auctoritate. Imprimis enim Patres testimonium Pauli nuper laudatum de inspiratione magis particulari accipiunt; nam Basilius præcæmium in Psalmos sic orditur: *Scriptura omnis divinitus inspirata et utilis hac una ratione a Spiritu Sancto conscripta asseritur* etc. Greg. Nyssen. Or. 6. cont. Eunom. ait: *Quæcumque Sacra Scriptura dixit, Spiritus Sancti sunt effata... ergo numine afflatis sancti vates virtute Spiritus Sancti inspirantur, et ideo omnis Scriptura divinitus inspirata dicitur*. Joan. Damasc. L. 4. Orth. fid. C. 18. *Per Spiritum Sanctum et Lex et Prophetæ et Evangelistæ et Apostoli et Pastores et Doctores verba fecerunt; ex quo fit, ut tota divinitus inspirata Scriptura procul dubio utilis sit*. Deinde idem aliunde aperte enuntiant; Sic Iren. L. 2. cont. hæc. c. 47. scribit: *Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe a verbo Dei et Spiritu ejus dictatæ*. Scriptor antiquus contra hæresin Artemonis apud Euseb. L. 5. hist. Eccles. C. 28. ita loquitur: *Aut etiam Sacras Scripturas a Spiritu Sancto dictatas esse non credunt, ac proinde infideles sunt; aut semelipsum Spiritu Sancto sapientiores esse existimant*, Chrysost. hom. 21. in C. 5. Genes. inquit: *Nihil hic scriptum est, quod non multas habeat sensuum divitias; quandoquidem divino Spiritu afflatis sunt locuti*. Greg. Neocæs. Serm. 2. in Annunt. B. V. hæc habet: *Per sanctorum Prophe-*

tiarum et Apostolorum linguam Dominus noster loquitur... quando porro Evangelium legitur vel Apostolicum, non libro attendas aut lectori, sed Deo e cælis loquenti. etc.

Prob. II. Ratione. Ac 1º quidem Scriptura Sacra est *Verbum Dei et non hominum*, ut ex ep. 1. ad Thess. 2. v. 13. liquet: sed si Deus moveret Scriptores tantum ad scribendum et assisteret illis, ne falsum scriberent, non autem res saltem et sententias proponeret, vel menti designaret, foret verbum hominum et non Dei, ut patet ex exemplo hominis duntaxat incitantis et alteri assistentis: ergo. 2º Scriptura Sacra secundum Trid. Sess. 4. in decret. de Canonicis Scripturis est *a Spiritu Sancto dictata*: sed si nequidem res et sententias Spiritus Sanctus suggereret, aut conceptus inspirando, aut ad hunc præ illo determinando, nulla ratione Scriptura diceretur dictata a Spiritu Sancto: ergo. 3º. Quidquid potest credi fide divina, debet esse revelatum a Deo; cum fidei motivum sit auctoritas Dei revelantis seu loquentis: sed omnes veritates, seu res ac sententiæ in Scriptura contentæ, possunt credi fide divina: ergo.

Objectiones.

21. *Objic.* Scriptores sacri aliunde, quam inspiratione divina, interdum excitati ad scribendum fuerunt; nam MARCUM a fidelibus ad Evangelicam scriptionem impulsus testatur HIERON. L. de Script. Eccl. his verbis: *Marcus discipulus et interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ a fratribus, breve scripsit Evangelium*; quod idem Clem. Alex. et Euseb. asserunt. JOANNEM vero ad scribendum ab Asiæ Episcopis incitatum, Beda in Comm. ad C. 1. Joan. commemorat: ergo ne ad sententias quidem admittenda est inspiratio specialis.

R. ad Arg. N. A. et Conseq. Divinæ enim inspirationi non obest pia fidelium postulatio; tum quia utraque stare simul et ad excitandum scriptorem concurrere potest: tum quia Deus in cordibus fidelium excitare poterat bona illa desideria, quorum occasione et ipse intus afflabat Scriptores sacros, ut fidelium precibus victi ad scribendum manus darent. Reipsa id contigisse, CLEM. ALEX. apud Euseb. L. 2. hist. Eccl. C. 15. ita narrat: *Quod cum Petrus per revelationem sancti Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in Ecclesiis legeretur*; Ibidem vero L. 6. C. 14. refertur sic enuntians: *At Joannes omnium postremus, cum videret in aliorum Evangeliiis ea, quæ ad corpus Christi pertinent, tradita esse, ipse divino Spiritu afflatus, spiritale Evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit*. BEDA tandem l. c. hæc de S. Joanne addit: *se non aliter facturum respondit, nisi indicto jejuniis omnes in commune precarentur, ut illo donante digna scribere posset; et hoc ita patrato, instructus revelatione cælesti ac Spiritus sancti gratia inebriatus, omnes hæreticorum tenebras patefacta veritatis luce dispulit*.

Inst. 1. Ipsi Scriptores sacri auctoritatem dictorum suorum repetunt vel a propria experientia, ut JOANNES C. 49. v. 35. vel a testimonio fide dignorum, ut Lucas C. 1. v. 2. facit: ergo eam gratis tribuimus inspirationi.

R. D. A. Ipsi Scriptores sacri advertenter et quasi reflexe inspirati repetunt etc. N. inadvertenter et exerceite tantum inspirati, *subd.* repetunt auctoritatem dictorum suorum humanam ab experientia vel testimonio, C. divi-

nam, N. Duplex est inspiratorum classis; alii revelationem Dei et inspirationem advertunt et experimento quasi cognitam habent: alii, quamvis inspirati dicant vel scribant, numeris tamen divini experimentale criterium non habent. Duplici etiam Scriptura Sacra munitur auctoritate; altera humana, quæ pendet a fide et diligentia scriptorum aut testium; altera divina, quæ per Dei revelationem conciliatur. Ad 1^{am} inspiratorum classem Prophetæ spectant; qui proinde, ad conciliandam suis scriptis auctoritatem divinam usurpabant frequenter hujusmodi formulas: *Hæc dicit Dominus; Factum est verbum vel sermo Domini ad me dicens* etc. ad 2^{am} classem refertur Caiphas Joan. 11. v. 50. et pertinent sacri Scriptores alii, qui dum evidentiam de inspiratione sua non habebant, ad comparandam scriptis suis auctoritatem humanam, ad experientiam propriam vel aliorum testimonium, vel rationem aut historiam provocabant, quin tamen inde divina auctoritas eorum scriptis negari queat; cum hæc ab ipsa inspiratione aliunde nobis probata, non vero ab inspirationis conscientia scriptori data oriatur.

Inst. 2. Idem testantur et traduntur, aliqua ex se ipsis, non vero a Deo inspirati, dicere et afferre; nam PAULUS 1. ad Cor. 7. v. 12. ait: *Cæteris ego dico, non Dominus*; et 2. ad Cor. 11. v. 17. *Quod loquor, non loquor secundum Deum*: CHRYSOST. autem hom. 49. in C. 23. Act. Apost. de Paulo ait: *Iterum humano modo disserit, et non semper gratia fruitur, sed etiam permittitur a seipso afferre, quod sane et facit*; BASIL. L. 5. cont. Eunom. C. penult. inquit: *Prophete aliquando a Deo, aliquando a se ipsis loquuntur*; cuius exemplum Origen. hom. 16. in C. 23. Num. in Propheta Gad producit. Ergo.

R. D. A. Scriptores sacri testantur et traduntur quædam ex seipsis dixisse et attulisse, si præcise consideretur objectum Scripturæ, C. si ipsa scriptio attendatur, N. Damus equidem in Scriptura commemorari nonnulla a Prophetis et Apostolis dicta vel facta, quorum auctor non fuit Spiritus Sanctus: contendimus vero scriptionis, qua res etiam hujusmodi ab illis exarantur, nihilominus divinum Spiritum fuisse auctorem. Verba PAULI in 1^a ep. juxta sinceram interpretationem referuntur ad dicta ibidem v. 8. *Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego*; adeoque sensum habent eundem cum his v. 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Quamvis autem his verbis consilium duntaxat Apostolus proponat; tamen et hoc consilium habebat a Deo, ut testatur v. 40. *Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam*; et ut id scriberet, a Deo fuit inspiratus, ut AUG. L. 1. de adult. conjug. C. 18. docet. In 2^a ep. autem de inspiratione non agitur, sed verborum sensus est hujusmodi: Dum loqui intendo et incipio de meis laudibus, si res spectetur secundum se, non erit hoc, nec videbor agere secundum Deum et principia actionum divina: si tamen charitas et necessitas spectetur, ne videlicet, me contempto, pseudo-Apostolos glorificetis; apparebit me recte agere et secundum christiana virtutum principia. CHRYSOSTOMI sermo non agit de scriptis quibusdam a Paulo canonice exaratis, sed de verbis illis, quæ is pro sui defensione Act. 23. coram Principe Sacerdotum protulerat: hæc vero tametsi a Paulo non inspirato dicta fuerint, sunt tamen a Luca inspirato litteris custodita. Similiter ORIGENES et BASILIUS non loquuntur de ipsa scriptione sacrarum litterarum, sed de dictis quibusdam aut gestis, quæ in Scriptura divinitus inspirata referuntur.

Inst. 3. Si Scriptores sacri fuerunt divinitus inspirati, non indiguerunt diligentia, inquisitione, meditatione ac labore; quia, ut CHRYS. hom. 32. in 1. ad Cor. scribit: *Qui Spiritu omnia loquitur, non laborat*: sed contrarium accidit quibusdam Scriptoribus sacris, ut ex Luc. 1. v. 3. et 2. Machab. 2. v. 27. et 31. patet: ergo.

R. D. M. Si Scriptores sacri fuerunt reflexe inspirati, et quidem per revelationem proprie dictam, non indiguerunt meditatione et labore, C. Si tantum exercite inspirati fuerunt, et per revelationem duntaxat minus propriam, N. Dari in inspiratione ac revelatione diversitatem ex prioribus responsionibus et num. 49. dictis liquet, ubi et diversam scriptorum conditionem exposuimus: CHRYSOSTOMI verba ad priorem inspiratorum classem pertinere, probat discrimen hic loci a S. Doctore Prophetas inter et Doctores statutum, quorum illos nihil laborare dicit, quia spiritu suggerente futura prædicunt, hos autem laborare, quia multa quoque ex se ipsis disserunt.

22. *Dico II.* Deus non videtur specialiter inspirasse semper sacros Scriptores quoad singula etiam verba et phrasin.

Prob. I. AUCTORITATE. Patres imprimis æqualem verborum ac sententiarum curam habendam negant; ut HIER. in ep. ad Pammach. scribit: *Alii Syllabas aucupentur, tu quære sententias... obtrectatores mei quærant et intelligant, non verba in Scripturis consideranda, sed sensus*; et AUG. L. 2. de Cons. Evang. C. 66. *Quod nosse, utile est et ipsi fidei, ne putemus, quasi consecratis sonis ita muniri veritatem, tanquam Deus nobis quemadmodum ipsam rem, sic verba commendat.* Deinde inspirationem verborum rejiciunt, quod ORIGENES satis declarat, dum ab Euseb. L. 6. hist. Eccl. c. 18. inducitur de epistola ad Hebræos ita loquens: *Sed ego dico, sicut a majoribus mihi traditum est, quia manifestissime Pauli est, et semper omnes majores nostri eam ut Pauli epistolam susceperunt. Si vero requiras a me, per quem sit ejus sermo compositus, pro certo quidem, Deus viderit: opinio tamen, quæ ad nos usque pervenit, hujusmodi est. A quibusdam dicebatur, quod Clemens Apostolorum discipulus et Episcopus urbis Romæ græco eam sermone non tamen sensibus expoliverit: alii quod Lucas etc.* AGOARDUS Lugd. Ep. autem in L. cont. Fregedis. sic enuntiat: *Apparet etiam in his verbis vestris, quod ita sentiatis de Prophetis et Apostolis, ut non solum sensum prædicationis et modos vel argumenta dictionum Spiritus sanctus eis inspiraverit, sed etiam ipsa corporalia verba ipse formaverit: quod si ita sentitis, quanta absurditas sequetur, quis dinumerare poterit?*

Demum phrasin stylique compositionem tribuunt proprie Scriptorum sacrorum industriæ aut imperitiæ; cuius quidem exemplum præbet Scriptor sacri Libri 2 Machabæorum, qui C. 2. v. 27. de se sic loquitur: *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus; sub finem vero operis, nempe C. 15. v. 39. ita scribit: In his faciam finem sermonis: et si quidem bene et ut historie competit, hoc et ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi.* Simile testimonium de S. Paulo tradit HIER. in ep. ad Algas. q. 10. sic disserens: *Illud quod crebro diximus (etsi imperitus sermone, non tamen scientia) nequaquam Paulum de humilitate sed de conscientie veritate dixisse, etiam nunc approbamus: profundos enim et recon-*